RUBRI MARIS TRAJECTUS,

SIVE

PROMISSAE TERRAE A LIMINE SALUTATIO.

DRAMATICUM CARMEN,

Quod pro ſollemni Fidelium vitâ functorum Recordatione

In Templo DIVAE MARIAE ANGELORUM

Ad Echiam

Anniverſaria, ſollerſque Pietas Regalis Montis Mortuorum, in eôdem inſtituti, Statis diebus canendum curavit,

Kalendis nempe, & quartô Nonas Novembres,

NEAPOLI MDCCLXI.

Typis Vincentii Manfredi.

SUPERIORUM PERMISSU.

ARGUMENTUM.

ÆRumnas Deus optumus, gravesque miseratus labores, quibus Israel in Ægypto jam pridem obruebatur, poenis iteratò, & cruciatibus animadvertit in Ægyptios, inque Regem Pharaonem (Amenophim dicunt) ut denique vi coactum, & vexatum immeritò Populum petitâ saepius missione, ac libertate donaret. Evasit tandem ductu Mosis, atque auspicatò excessit Judaea Gens, in promissam Terram profectura, ostentis in exitu comitata, ut & portentis nuper fuerat in detentione defensa. At non adhuc territus, neque tardatus pervicax Regnator, instructis copiis insecutus est discedentes, qui inopinatò propter Erythraei Maris litus deprehensi, eâ sunt timore perculsi, ut inspirati egressum malè vertentem Mosi exprobrarent, ac illa rursus expeterent vincula, quae paullò ante fuerant detestati, quaeque Deus ipse excelsâ manu perfregerat. At Moses, coelitus jam praemonitus, mirificam super aquas protendens

Virgam, prodigiô omnium maximô (quod & profanos non latuit Auctores) bifariam Mare divisit, quod recedens, sublatumque fugitivae dedit Genti locum, inoffensô pede praetergressae. Tam vehementer obduruerant, irâ obcaecati, Insectatores, ut spirantes sanguinem sese omnes aperto credere Mari, idemque, illis inconcessum, iter fidenter praetentare non dubitaverint; Sed alterô Mosis jussu reversi illicò, ruentesque fluctus invisas Deo Turmas obvolutas demerserunt; nec unus quidem horrendo superfuit naufragio, spectante Mose, ac Populo ipsius, & grates Deo exercituum, atque laudes canente, qui acerbo eos, turpique eripuerat servitio, & in desponsam, jamque proximam felicem Terram provehebat. Istinc expromptum (quin & veterum hinc inde excerptis Poetarum versibus ferme contextum) exhibetur Argumentum piae Fidelium Denatorum Recordationis, qui a Dæmonis (in Pharaone expressi) servitute per Dei Filium redempti, rubros veluti inter rivos Divini

Ipsius

Ipsius Cruoris transeuntes , & rubentes tandem piaculares Flammas emensi , in Coelestem Hyerusalem expiati intromittuntur .

Sicuti ausus est deinde Core , ex Tribu Levi , Sacerdotium Aaroni datum affectari , atque ita turbas reus ambitus excitare , ut in poenam dehiscente terrà haustus sit, ideo ille heic introducitur tumultûs exterriti Populi conjuratus nunciator , & conreus seditionis . Hur verò , qui haud multo post , pugnante Josue contra Amalecitas , Mosis manum substinere meruit , ac suffulcire , iste , inquam , seligitur , qui libens in Deo spem reponat . Soror autem Mosis Maria nomine refert dulcissimam Divini Reparatoris Genitricem , quae in igne lustratis Animabus suppetias semper advenit , easque postremò flammis vindicatas inter laetantes Angelorum Choros adducit .

PERSONAE.

MOSES, DUX HEBRAEORUM.

MARIA, SOROR MOSIS.

HUR, MOSIS STUDIOSUS.

CORE, EX TRIBU LEVI.

Modos faciebat Januarius Manna.

PARS

PARS PRIOR.

Mos. ISacidae, quos Mundi Arbiter ducit
Super ventorum pennas, inque ſinu
Geſtat, avarum Litus,
Et Terras tandem fugimus crudeles.
Quia lecti, quia fideles,
Promeruiſtis opem,
Exoraſtis portenta. En magnus Nobis
Ab integro ſaeclorum
Naſcitur ordo. Datur noſtris uti
Legibus, datur animos lenire,
Atque Deo liberaliter ſervire.
Hur. Jam inopes, & ſervi,
Nunc divites, & liberi laetamur.
Opimis exornamur
Hoſtium ſpoliis, tot quae ſunt laborum
Debita merces. Jam non erit dolor,
Nec luctus erit ultra. Abſterſit genas
Triſti rigatas imbre,
Facili & preces aure excepit Deus,
Et hic eſt, inquit, hic Populus meus.
Non ibimus cum fletu
Niligenis ſervitum,

Et pallido cum Metu
Haud fremet inde Mors.
Tyrannum vel invitum,
Qui minabatur fata,
In melius mutata
Nostra devicit Sors.

Mar. Onus denique, & jugum
A locata cervice
Dejecimus, & hodie sumus nati:
Ter, quaterque beati,
Qui, Nobis fausta, vidimus (& quondam
Juvabit meminisse) Opera Illius,
Solus qui facit mirabilia. Gemit
Nilus adhuc, & renovat dolorem
Tractans recentia vulnera. Quâ dirâ
Clade Coelestis Ultor
Superbos debellavit, & affecit!
Quid potuit ultra facere, & non fecit?
Una o Gens dilecta Coelo,
Jam solutae sunt catenae;
Jam nec lacrymae, nec poenae;
Ridet Pax cum laeta Spe.
Arcum Dominus cum telo,
Mille fregit scuta, & mille:

Si

Si pro Te depugnat Ille,
Quis pugnabit contra Te?

Mos. O recolende Dies,
Quem semper honoratum
Israel habebit.

Mar. Salve, festa Dies,
Melior semper revertere . . . . . .

Mos. Quid moestô
Novi fert vultu Core? Creber illi
Anhelitus est oris,
Et celer gradus.

Cor. Siccine servasti
Nos, Moses? Judex Deus
Sit inter Nos, & Te. Surge, & sequentes
Cerne Phalanges, quibus furor, ira,
Atroxque injuria ministravit arma.

Mar. Quid heu praenuncias?

Cor. Forsan in AEgypto
Deerant sepulcra, mori ut inhumatos
Cogeres in deserto? O egregiam laudem!
Prudens consilium! Redde Nobis vincla;
Quàm Tibi, est Illis satiùs obedire.

Mos. Tuae formidini, & irae
Impone modum, Core. Isàci es proles,
Deum colis, & es recens

 Tot

Tot prodigiorum teſtis , ac ſeverae
Vindictae in Hoſtes, & potes pavere ?
Cor. At quid ſpei Nobis ſupereſt? A tergo
Urget Hoſtis, jam jamque manu tenet ,
Et premit haſtâ: Contra eſt Mare: Inermes
Nec revocare gradum ,
Nec progredi valemus. Ubi rates?
Arma ubi? Eſt cuique, & robur illi
Sit circa pectus , foveat virtutem ,
Salus una haud ſperare ullam ſalutem.
Nunc mille petet
Poenas in unâ ,
Palmas nunc metet
Uſus fortunâ ,
Saevo nunc letho
Nos dabit Rex .
Non eſt effugium ,
Haud eſt tutamen ;
Modò & praeſidium
Tu ſperas tamen ?
Heu! noſtra nimis
Eſt certa nex .
Moſ. Quantum falleris! Vivit ,
Vivit Deus. Ex AEgypto
Nos dexterâ prehenſos eduxiſſet ,
Col-

Colligeret ut ſimul
Tot victimas mactandas ? Volve corde
Digna Deô , digna te . Specta Noemum
Ultrices inter undas ; vide eductum
E patriâ Abramum ; uterum ferentem
Jam ſeneſcentem Saram ;
Cerne Iſacum ad aram ;
Jacobum in palaeſtra ; & regia in ſede
E vinclis Fratrem venditum mercede .
Nos ipſos vide . Numini deſperans
Affers injuriam pio .
Cor. Non ulla ſurgit
Nova mihi , inopinave portenti
Facies , nec ulla latent
Ducente Deo quae vicimus pericla ;
Sed graviora manent .
Moſ. At quid grave ,
Modicae fidei , eſt unquam ,
Quid difficile Deo ? Magna vidiſtis ,
Videbitis majora . Quid ceſſatis
Nunc in vota , preceſque ?
Hur. (Talia fando
Non olli eſt unus , Numine propiore ,
Vultus , nec color ; & major videtur ,
Nec mortale ſonans .)

Mar. Tu, qui Nobis
De die columnam nubis, & columnam
Purâ per noctem luce refulgentem,
Et praecedentem Angelum miſiſti,
AEgypti percuſsorem inquietae,
Fer opem, jam deprendimur.
Moſ. Silete.
Metu parcite; in Iſrael eſt Deus;
At miramini vultu
Securô Dei triumphum, nec debetis
Vos tunc conferre pedem,
Turmae extremam ſpectate, & Regis cae-
(dem.
Tu Nos triſte lugentes,
Tu Barbaros ſequentes,
Jam praeceps ſuper Nos
Fulmen Tu vides.
Fidentes Te ſperamus,
Te, Genitor, vocamus;
Vana nec erit ſpes,
Vana nec fides.
Hur. En tuis credimus dictis;
Nos rape in omnia Tecum.
Mar. Ecce Dei
Ancilla; Nobis juſſa
Capeſſere fas eſt.

Cor.

Cor. Sit: At hoc vaſtum
Maris aequor arandum?
Moſ. Non eſt Domini
Abbreviata manus: Trajicietur,
Ne dubites, adverſum
Pelagus. Ecce virgam
Fluctus ſuper protendo; ecce dant locum
Diviſae undae, & recedunt.
Cor. Vera an cerno?
Hur. Proh ſtupor!
Mar. Conjurati
Quaſi ad claſſica venti exſiccant patens
Calcatum nunquam vadum.
Moſ. Seſe firmae
Utrinque attollunt aquae,
Ceu hyalinae parietes. Tranſite,
En data fugâ; dux Deus eſt: Praeite.
Hur. Per inſuetum iter,
Depoſitâ formidine, en infertis
Advenam gradum.
Mar. Deo
Caſtâ mente, ac devotâ
Grates reddamus interim, & vota.
Quis

Quis ſimilis eſt Tibi,
Qui tot largiris dona,
Qui liberator es?

Hur. Quis dolet opem ſibi,
Non data & dolet bona,
Eſt cui firma in Te ſpes?

Mar. Reddas Nos uſque gratos.

Hur. Tecum Nos fac beatos.

2 { Promiſſa dentur regna,
Detur amica pax.

Mar. Praevius ut micat Ignis,

Hur. Ut Sol lampade luſtrat,

2 { Sic Fidis, Teque dignis
Jugis eniteat fax.

Excipit Pars Prior.

PARS

PARS ALTERA.

Mos. ITE nunc, & negate Omnipotentis
Virtutem, ſi poteſtis, & negate,
Quâ ſublevat, pietatem. Nunc praecludat
Fera AEgyptus receſſum: Ille inviam
Noſtris aperit paſſibus abyſſum.
Hur. Tali opprimor ſtupore,
Ut oculis vix credam.
Cor. Jam proterva,
Impiaque dicta paenitens retracto:
Cedo equidem, & laetus palinodiam,
Dux, tibi cano.
Mar. Fas humida regna
Fuit ergo penetrare, & clauſos fontes?
Quae ſemita! Altas juſſit
Deus latè undas diſcedere; ſublatus
Nos circumſtetit fluctus
In montis faciem, datô
Et ſinu accepit.
Hur. Dicite nunc, Gentes,
Ficta ſi veſtrûm Numina, & inſana
AEquè ſunt praeſto vobis,
Ac potens Deus noſter adeſt Nobis?
Jubar

Jubar qui praebet Soli ,
Parent cui venti, & mare,
Aſtra qui regit Poli,
Eſt ille Nobis lux.
Ediſcat hinc Mortalis,
Supplex, confiſus, amans ,
Adjutor Ipſe qualis,
Qualis ſit Ille dux . . .

Moſ. At quid nunc ceſſant pedes?
Moras rumpite, quando
Litus egreſſis pontum ſternit viam . . . .

Cor. Heu! recens corda pavor
Pulſat, & dubios remoratur. Currus
Nonne vides, & noſtris
Veſtigiis ingreſſos
Equites AEgyptiorum, Peditesque
Fluctus inter patentes? Si per oram
(Deus quod avertat) aſſecuntur fuſos,
Quò fugimus? quae ſalus? Diris ſumus
Defuncti, non inficior, periclis,
Emenſique labores,
At imminent exitio adhuc timores.
Detorquet , ſaxa timens ,
Procellam & ſonoram ,

Na-

Navita ad litus proram,
Seque in tutum recipere confidit:
At dum salutem petit,
Vel est jactatus alto,
In portu vel impegit,
Aut coecis ratem scopulis illidit:

Mos. Deus ille, solve metum,
Ille, qui magnum est aggressus opus;
Crede mihi, & absolvet.

Mar. Num ignoras
Traduxisse inoffensos
Rubrum per Mare, daret ut deinde
Felicem, quam promisit,
Uberem Terram?

Hur. Et sollemni fidem
Firmavit juramento.

Mos. Venit miseris
Venit summa dies. Ecce inter undas
Intrant, Deo non probante. Incubat atra
Nox ponto, fremunt venti,
Dextrâ & Pater rubente
Crebrò Hostes jaculatur.

Mar. Credent Deum
Tonantem nunc regnare.

Mos.

Moſ. Aſt Illi ſerâ
Formidine perculſi
Viam relegunt palantes; ſe ſe impellunt;
Premitur viro vir.
Mar. Denique ingentes
Jam firmae aquarum moles
Super impios praecipitant, ruuntque,
Et Mare clauſum eſt, & vorat omnes.
Hur. Proh aeterni ultionem Dei! Rari en ap-
Vaſto nantes in gurgite. (parent
Moſ. Cantemus,
Cantemus hymnum Domino, qui currus,
Equoſque in mare, & equites dejecit.
Operuit ſaevos unda, & quaſi lapis
Sunt demerſi in profundum; aquae mons
Volvit corpora, ſcuta, galeaſque.
Nos tua redemit dextra,
Hoſtes tua dextra, Deus,
Percuſſit, debellavit,
Nec ſupereſt e tot millibus unus.
Fuit his commune funus,
Fuit ſi crimen commune: Haec Tibi eſt glo-
At Nos ovantes fruimur victoriâ. (ria,

Quam

Quam dulcis in amore
Occurris, audis vota,
Tam merito in furore
Terribilis Tu es.
Ceu Mater, fovet Deus,
Nos & ad pectus premit;
Impius at frustra gemit,
Deficit illum spes.

Mar. Vos o mecum, electae
Gentis venite Virgines, Nurusque,
Damna questae, & labores,
Mecum tympana sumite, & cantate.
Laudes canamus Deo, qui gloriosè
Magnificatus est; equum projecit,
Ascensoremque in mare. Nos sectatus
Dare neci crediderat ad unum
Pharao obduratus; ausit & abyssos
Tranare, Nobis unicè reclusas:
Sed obrutus procellis
Lethum reperit simul, tumulumque.
Durior, splendidior vitro
Stans unda fidem Profugis servavit,
Cadens fidem Nilicolis negavit.
Jam fluctus propter oram

Esi-

Ejicit demerſos. Sic verendum Numen,
Dum egenorum ſubvenit querelis,
Conatus frangit Populi crudelis.
Tantus amor, tot portenta
Mente maneant repoſta,
Ac ſervetur prece intenta
Dulce foedus inter Nos.
Natos juvat haec docere,
Haud ſi licuit videre;
Atque ditior erit Natis
Haec haereditas, & dos.
Moſ. O graves ſemper miſerate poenas
Te precor, Patrum Deus,
Mari ut ereptos Rubro
Dirigas, & in fines
Tandem Plagae introducas
Lacte, ac melle manantis.
Hur. Audin' laeto
Quo clamore ſalutant
Cuncti a limine Terram
Pollicitam, optatam?
Cor. Haec laborum
Erit meta, & haec requies.
Moſ. Parem olim

Ex-

Expoſcent Dei pietatem
Animae, quae gementes & vivorum
Vota expetent, & preces. Ut in igne
Fulvum ſpectatur aurum,
Ita Electos luſtrabis medios flammae
Expiatricis.

Mar. Poſt trajectum Maris
Rubri in Terram deducis
A Te deſponſam: Sic divinô ablutae
Cruore ocyus propinquent
Aſtris felices Animae.

Moſ. Fruantur
Clarè tunc facie Tuà, qualis per aevum
Jugis triumphi, ac veri,
Quanta ſolet Coelicolis videri.
At quale erit juvamen,
Quale perfugium, Soror,
Tuum dulce Nomen Miſeris! MARIA
Inluſtrans domos ſine ſole, aerumnas
Levabit, & extinguet
Piaculares ignes, donec Sedis
Pateat ſidereae limcs,
Atque Ipſa ad Coelum rapiat ſublimes:

Moſes

Moses Haec erit Stella Maris,
Maria Erit haec nocte Luna,
Core Et Porta salutaris,
Hur. Et naufragis levamen,
4 { Adversa Haec in fortuna
Erit solamen.

FINIS.